

paucis superstitibus extinguuntur. Bergolium hac ipsa re magnam cladem suscepit. Hoc eodem anno Galeatius obsidet Valentiam, & potitur.

MCCCLXXII. Pestilentiam, ut fere utrumque malum alteri est cognatum, & hæres, maxima sequitur annonæ penuria per tres annos vehemens adeo, ut florenis sexdecim auri in singulos modios frumentum emeretur; penuriam sequitur inopia, & fames, ut (1) omnino nihil superesset, unde qui cladi superfuerant, alerentur; propterea multi mortales fame consumuntur, quamvis in proxima æstate summa commeatum copia sit subsecuta; sed imber post ut dicitur. (1) Tum MS.

MCCCLXXIV. Galeatius Vicecomes magno comparato exercitu Astam obsidet, cui cum Marchio Montisferrati, sub cujus imperio erat, subsidium ferre vellet, nec posset ob virium imbecillitatem, Sabaudia Comitem advocavit, qui junctis exercitibus suppetias ferunt Civitati obsessæ, exercitum Galeatii in fugam vertunt, multisque utrinque præliis, Galeatii exercitus tandem cogitur fuga sibi salutem prospicere; sic quo celerius se reciperent, partim via, partim navibus Alexandriam perveniunt.

MCCCLXXV. Galeatius Vicecomes octavo die mensis januarii, qui cupiebat bellum contra prædictum Marchionem renovare, Joannem Galeatium filium juvenem annorum vigintitrium, sed maximi ingenii, & alti animi, ac qui de se præbebat ingentem expectationem, ad id prius emancipatum, delegit, cui administrationem Novariæ, Alexandriæ, & quorundam aliorum locorum assignaret in emancipationis præmium, cum facultate bellum gerendi, & pacem faciendi cum Comite Sabaudia, sibi tamen alto, & mero imperio reservato.

MCCCLXXVII. Inaudita luporum multitudo in territorio Bergolii visitur, qui ad quinquaginta numero homines devorarunt. Eodem anno die vigesimoquarto octobris Ecclesia sancti Petri Fubiniensis erat sub diocesi Alexandrina, id attestantibus verbis narrativis instrumenti collationis ejusdem facti de dicto anno. (1)

(1) *Extat par. 1. doc. 351. col. 367.*

MCCCLXXXI. Die vigesimo secundo mensis augusti quarta fere pars Bergolii versus Ascharinos igne absumitur casu orto.

MCCCLXXXIII. Maxima oritur de antianorum electione discordia inter eos, qui populo favebant, & illos, qui de communi appellantur, res ad seditionem, & arma convertitur, quare hac de causa plures interficiuntur; tandem electio ad nobiles populi reducta, idque technis Guascorum.

MCCCLXXXV. Iterum Bergolium de mense martii succenditur maximo igne, ita ut grandi cum difficultate restinctus fuerit. Hoc tempore gens Trottorum, quæ Ferrariam incolit, hinc ad eandem urbem primum accessit, in qua multos honores, dignitates, bona fortunæ ob virorum præstantissimorum virtutem adepta est.

MCCCLXXXVI. Cura spiritualis istius Diocesis erat adhuc penes Archidiaconum hujus Cathedralis, cum dependentia a vero Alexandriæ Episcopo, qui propter violentiam Aquensium in urbe Aquarum continue residebat; adeo unus pastor communis esset ambabus Ecclesiis.

MCCCLXXXVIII. Johannes Galeatius Vicecomes Comes virtutum matrimonio coopulavit Valentiam filiam suam cum Ludovico Duce Aurelianensi, fratre Caroli Francorum Regis, qui appulit Franciam comitatus multis nobilibus, scilicet Duce Mantuæ, Gulielmo Marchione Montisferrati, Antonio Porro milite aurato, regioque apparatu. Huic constituta fuit dos Astensis principatus cum universo Episcopio, & quatuorcentum millia florenorum auri ab ipso Johanne Galeatio. Hospitio recipitur Alexandriæ in ædibus Guascorum, quo anno Barnabos Mantellus fit Prætor Braidæ pro dicta Valentina.

MCCCXC. Ludovicus Dux Aurelianensis (1), & Dux Burgundiæ maxima caterva (1) nobilium præeunte, ac magna peditum, & equitum manu in Lombardiam venit, & recipitur hospitio in Guascorum ædibus Alexandriæ, quo Johannes Galeatius, ut honorifice reciperet generum, jam venerat, receptus hospitio Federici Putei militis strenui; inde Papiam, & mox Mediolanum proficiscuntur. Nuptiæ per dies quindecim more Regio celebrantur, maximusque apparatus, & concursus undique illuc fit.

(1) Mediolanensis MS. (2) Catena MS.

MCCCXCI. Johannes Comes Armeniacus duodecim millia equitum manu comparata e Gallia in Italiam transmittit. Hic cum esset rerum novandarum cupidus, venia a Francorum Rege impetrata, Insulbrum imperium cogitabat sibi per vim comparare. Tandem die sancti Petri vigesima nona junii super Alexandrino territorio Castellatium pervenit, quod vallo, fossaque undique cingit, & multis diebus obsedit; interea multas incursiones ad Alexandriam, proxima quoque oppida devastando, facit. At Castellatienses opportunitatem nacti, dum Alexandriam Comes excurrit, ipsi in munitiones oppido propinquas impetum faciunt, atque succendunt, multamque stragem militum edunt, & equos tercentum igne consumunt; mox viriliter se in oppidum recipiunt. Sed Comes cum animum ad urbem occupandam intenderet, ipse cum reliquo exercitu die vigesimoquinto mensis julii, quo die celebratur festum Divi Jacobi, appetit Alexandriam, sperans hoc modo primo impetu urbem capere. Ob id ad portam Januensem, qua recta via itur Castellatium, pervenit; ibi maximum committitur prælium. Jacobus enim Vermensis, quem ad Alexandriam tutandam Johannes Galeatius miserat, vir & prudentia, & manu strenuus, globo civium coacto, nec non etiam quibusdam militibus adhibitis eundem repulerunt, cum jam Galli, relictis equis, ad clatra portæ Genuensis pervenissent, sicque magnus fit ibi conflictus. Sed cum populus Alexandrinus & animo, & viribus præstaret, prudentissimumque Ducem (1) belli nactus esset, victoria ad nostros cessit. Galli profligantur, plures eorum interficiuntur, capiuntur ad quatuor millia: multi lassitudine, & aestu disrumpuntur. Comes ipse Armeniacus, cum vellet Burmidam transvadare, per Bentium Busatium armigerum, civemque Alexandrinum capitur, captusque Alexandriam ducitur; reliqui salutem fuga pepererunt, maximis itineribus in Montemfer-